

## LUDOVICI ANTONII MURATORII

## PRÆFATIO IN SUAM OPERUM LIUTPRANDI EDITIONEM.

(Rerum Italic. tom. II.)

Si quod sæculum vitiis et barbaris moribus in Italia squalluit, certe decimum a Christo nato reliquis in ejusmodi infelicitate palmam præripuit. Deformata plane tunc temporis ipsius quoque Romanæ Ecclesiæ facies, bella per Italiam horrida, conculcatæ leges, et potissimum abjecta bonarum litterarum conditio. Itaque summopere commendandus nobis Liutprandus historicus, qui ferreo illo sæculo supra cæterorum ignorantiam se adeo erexit, ut vel nostris temporibus, quanquam stylo aspero et inurbani ævi sui indolem satis referente, usus fuerit, adhuc tamen lectorem ad sua libentissime legenda alliciat; quippe ingenio fuit ille vivido et acris, et quæ scripsit, rara vivacitate ac libertate exposuit, *Liutprandum* plerique eruditorum recentium nominare illum consueverunt; sed *Liutprandus* seu *Liutbrandus* fuit apud veteres illius nomen: qua de re certos nos faciunt marmora publica, chartæ in archivis, et antiqui codices msti, in quibus ego semper *Liutprandi* nomen, nunquam vero *Liutprandum*, scriptum fuisse animadverti. Nam quod eum *Litbrandum* atque etiam *Eutrandum* nonnulli appellent, id procul dubio ex iibrariorum supino errore processit. « Nazione Italum, et ex Papiæ civitate oriundum, » uti Trithemius scripsit, cum veteres tum recentiores censuerunt. Verum Guilielmo Caveo in Script. Ecclesiast. Hist. litter. monente, « Franciscus Bivarius in censura Liutprandi Operibus præmissa, conjecturis non penitus contemnendis contendit gente fuisse Hispanum, domo Cordubensem, saltem Bæticum, et una cum parentibus a Saracenis fugatum in Italia consedissee. » Et hæc quidem Caveus, qui tamen egregie intellexit, anilibus fabulis, et fraude omnimoda abundare *Chronicon* quoddam Liutprando nostro suppositum in Hispania, et Matrili primum a Tamayo, tum a Ramirezio, et a Hieronymo de la Higuera Antuerpiæ editum cum notis anno 1640, a quo præcipue nugivenduli ansam ceperunt inserendi in Hispanicam gentem Liutprandi Itali.

At laude sua minime fraudandus Nicolaus Antonius, Hispalensis jurisconsultus, qui non eruditione minus quam amore veritatis, præxime elapso sæculo inter Hispanos magnum sibi nomen quæsit. Is enim in Bibliotheca Veteri Hispana, lib. vi, cap. 16, exquisito critices usu ad fabulas totum illud *Chronicon*, atque *Adversaria* Liutprando eidem inscripta, amandavit, et censorias notas falsariis suæ gentis inussit; lialicam vero gentem Liutprandi possessione minime privandam censet. Quod solum *justam* aliquam hac de re dubitationem ingerere posse videbatur, dissimulandum non est. Scilicet in germano suo *Chronico* Liutprandus lib. v, cap. 1, ad Raymondum Illiberitanum in Hispania episcopum de quadam solis eclipsi ita scribit: « Qua etiam die Abdaram rex noster a Radamiro rege Christianissimo Galliciæ in bello superatus est. » Verum levi correctione hic utendum Nicolaus Antonius monet, nempe scribendum *rex vester*. Et sane fieri non potest ut Liutprandus Italiam a tot saltem annis incolens, et Ecclesiæ Ticinensis clero ascriptus, regem

**A** *suam* appellarit regem Saracenum, quo cum nulla amplius ei res erat, imo nunquam fuerat.

Restat igitur, dum alia contra non militent argumenta, Liutprandum in Italia natum fuisse, et, ut verisimile est, Ticini, quæ et Papiæ, e gente Langobarda editum: quod et nomen ejus Langobardicum innuere satis videtur, ejusque munus, nam se *levitam*, hoc est diaconum, *Ticinensem* appellat. Libro etiam tertio cap. 1, his versibus Papiæ conflagrationem describit:

Utritur infelix olim formosa Papiæ,  
Vulcanusque suos attollens flatibus artu  
Templa Dei, Patriamque simul conscndit in omnem.

Quibus verbis Papiam patriam suam is manifeste, ni fallor, nominat. Ejus autem pater ab Hugone Italiæ rege ad Romanum imperatorem Græcorum legatus est missus circiter annum Christi 927, ut et hinc videas ejus parentem in Italia egisse. Tunc **B** *parvulus* erat Liutprandus. Post aliquot autem annos inter honorarios aulæ pueros cooptatus, *regis Hugonis gratiam vocis sibi dulcedine acquirebat*, ut ipsemet testatur lib. iv, cap. 1. Hugone subinde et Lothario Italiæ regibus dejectis, Berengarius II sceptrum arripuit, qui Liutprandum « secretorum conscium et epistolarum signatorem » constituit. Imo cum ejus solertiam probe nosset, ipsum legatum anno Christi 946 ad Constantinum Porphyrogenitum Constantinopolitanum imperatorem misit. Berengarium multa vitia deturpabant, atque exosum bonis brevi effecere; ac propterea et ipse Liutprandus post longum famulatum tandem in ejus odium ita incurrit, ut facultatibus spoliatus, sibi que pejora timens, in Germaniam ad regem Ottonem se recipere coactus fuerit. In eo exilio, circiter annum Christi 958, Historiam suam sex libris comprehensam, et Francofurti ad Mœnum cœptam, absolvit. Anno 961 Otto Magnus, Germaniæ rex, a Romano pontifice et a plerisque Italiæ proceribus iterum invitatus contra Berengarii tyrannidem, Langobardico regno potitus est, et anno sequenti Romanorum etiam imperator creatus. Tam felici conversione rerum in Italiam remigravit Liutprandus, cumque is Ottoni charus inter paucos esset, ejus studio ad episcopatum Cremonensem proventus fuit.

**C** Nova hac atque illustri dignitate auctum Liutprandum anno 963 censet Ughellus. Certe eo anno ipso jam episcopus Romam ad Joannem papam a laudato Augusto est missus, ibique synodo seu conciliabulo adversus ipsum pontificem instituto interfuit. Tum anno 968 alteram legationem obivit, missus ab Ottone Magno Constantinopolim, ut a Nicephoro Græcorum imperatore Theophaniam Romani junioris filiam Ottoni filio, in consortium imperii Romani ascito, uxorem peteret. Quo autem anno Liutprandus e vivis abierit, non constat. Attamen apud Ughellum Ital. Sacr. tom. IV, in episc. Cremon habemus descriptam translationem corporis sancti Himerii episcopi ad civitatem Cremonensem, cura ipsius Liutprandi factam, in qua is appellatur

« Cremonensis episcopus bonæ memoriæ Luizo (seu Liuzo) intimus summista regius, in consilio providus, et amore divinitatis repletus, quem imperator in secundo regni culmine dicavit (*lego* locavit) frequenter ingrediens, et exiens a facie regia, » Quibus ex verbis intelligimus, Liutprando fuisse quoque nomen *Liuzo*, quod tamen suspicari possumus, idem sonasse seu fuisse ac *Liutprandus* apud illorum temporum vulgus. Simulque hinc manifestius elucet quanta auctoritate polleret quantoque in honore et gratia apud Ottonem Augustum foret idem Liutprandus. Additur in eadem narratione: « Laudabilis autem præfatus pontifex animadvertabat qualiter sancti conderet sacrum » (nempe corpus Cremonam advectum). « Sed tamen non fuit hoc illi datum, quia imperiali servitio coactus, Constantinopolim directus, illuc amplius haud est reversus. » Ex his verbis suspicio ingeritur legenti, non diu post legationem peractam superfuisse Liutprandum. Et sane eum quidem in Italia egisse anno 970 ac interfuisse synodo in civitate Ferrariensi coactæ, testantur Acta a Rubeo laudata Hist. Ravenn. lib. v. Ibi quoque *Liuzius episcopus Cremonensis* inscribitur, uti et a Continuatore Reginonis et Chronographo Saxone ad annum 965 *Liuzio* dicitur. Nulla post annum illum monumenta, quæ supersint, viventem exhibent Liutprandum. Unus Julianus Toletanus, historicus, si superis placet, vetustus, auctor est, anno 973 Liutprandum venisse Toletum, nec multo post mortuum ibi atque sepultum. Sed, uti jam sole clarius apud eruditos constat, Chronicon Juliani illius, et Dextri, et Hauberti, aliorumque hujus farinae historicorum, mera commenta sunt, ab impudentissimis hominibus fabricata, a nimium credulis et bonis evulgata, et ab ipsis Hispanis emunctioris naris nunc improbata, atque despecta. Ac proinde fabulis accensenda quæ de peregrinatione Liutprandi nostri in Hispaniam ejusque ibi morte ab impostoribus illis referuntur.

Fuit autem Liutprandus supra infelicissimi illius sæculi modulum litteris excultus; nam non Latino tantum, sed etiam Græco sermone valuit; imo Saxoniam, sive Germanicam linguam tenuit, cujus peritiæ specimen luculentum Romæ dedit in synodo, ubi quæ Otto Magnus Augustus patria lingua efferebat, Cremonensis episcopus interpres Latine reddebat ad concilii Patres. Neque prosa solum, sed etiam metro suum ingenium exercuit. Sunt qui

illum nimis licentiæ incusent, quod sui temporis, principumque etiam virorum, ac mulierum vitia ac fœditates graphicæ exprimat, ac fortassis etiam amplificet. Hujus loci non est accusationem ejusmodi ad trutinam revocare. Ad nos quod attinet. Liutprando nostro tribuitur *Chronicon de Hispanicis rebus*; tribuuntur et *Adversaria* quædam, in quorum laudem Franciscus Bivarius multa congescit. Ea quoque Laurentius Ramiresius et Hieronymus de la Higuera notis illustrarunt, Matrini et Antuerpiæ edita. Jam diximus hæc fabulis Romanensibus esse accensenda, utpote omnino supposititia, et mendaciis ad saturitatem referta. Moguntia quoque anno 1602 liber *de Romanorum pontificum gestis a S. Petro usque ad Formosum papam* prodiit Liutprando eidem tributus. Sed et hoc opus ab ipso prorsus abjudicandum contendunt eruditi, quippe ab ejus stylo nimis dissonum, et a maleferiato aliquo Germano, fortassis etiam recentiorum temporum, verisimilius profectum.

Quæ igitur germana sunt Liutprandi scripta nunc iterum in lucem efferimus. Ea sunt *Historia rerum in Europa suo tempore gestarum libri VI*, quæ Basileæ anno 1532 impressa est, ac subinde a Justo Reubero in tomo Veterum Scriptorum Hanoviae anno 1619 edito rursus exhibita. Sex posteriora libri sexti capita, ubi de damnatione Joannis XII papæ agitur, inter Baronium, Vossium, Caveum, Dupinium aliosque disceptatum est, num Liutprandus auctorem habeant, an alium quemquam continuatorem ejusdem historiæ, qui tamen iis aut proximis temporibus vixerit. Adhuc sub judice lis est. Equidem puto integram ad nos non pervenisse Liutprandi historiam; neque enim in ea legimus propiora tempori, quo ipse scripsit, ac potissimum Berengarii II facinora, quæ ipsum acrius torquebant, atque ad scribendum incitabant. Alterum Liutprandi opus est *Legatio ad Nicephorum imperatorem Constantinopolitanum*, ab ipso peracta simul atque descripta. Libellum hunc e Trevirensi codice m. eductum, mutilum tamen, Christophorus Browerus e soc. Jesu ad Marcum Velsorum misit; hic autem Henrico Canisio commendavit, cujus cura typis excusus est anno 1600 Ingolstadii. Ipsum deinde in Annales suos cardinalis Baronius intulit ad annum Christi 968. Utrumque hoc opus, Italicae Historiæ cum primis utile hic Lector conjunctum habebit.

## LIUTPRANDI

CREMONENSIS EPISCOPI

## HISTORIA GESTORUM REGUM ET IMPERATORUM

SIVE

## ANTAPODOSIS

(Apud Pertz *Monumenta Germaniæ historica*, Script. tom. III.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, incipit liber ἀνταποδόσεως antapodoseos id est retri-

butiois, regum atque principum partis Europæ, a Liutprando Ticinensis ecclesiæ diacone εν τῇ ἐχμα-

VARIAE LECTIONES.  
<sup>1</sup> vox retributionis supra antapodoseos legitur, sed eam additis id est eis postponendam duxi; ita in sequentibus quoque feci.